

penicillo nostram, quæ sub manu, *Monarchiã*: quæ *Resp.* est  
ad unius nutum administranda, penes quem summa & absolu-  
ta residet potestas. Vides differentiam ipsa forma, constitui,  
qua sine vix exacta constabit *Monarchiæ* ratio. Differentiæ  
*Monarchiæ* accidentales sunt *Regnum*, *Dominatus*, &  
*Tyrannis*, quibus tamen impræsentiarum immorari non a-  
nimus, sed pagina vetat. Facturi autem ad ostendendam  
*Monarchiæ* præ eminentiam apparatus, gratulamur, no-  
bis primum de isto *Senecæ* r. d. elem. c. 19. effato; *Natura*,  
inquietis, commenta est *Regem*. Huic enim *Respp.* inter  
*Monarchiam* esse convenientissimam ex caelestibus pari-  
tè ac terrestribus imò eò, qui supra omnes caelos est, *Deo*  
apparet: difficultatis id nihil habet in omni rerum con-  
ditarum genere unum quoddam eminere cæteris ejusdem  
generis dignius præstantiusvè: sic omnium in terra bono-  
rum Autor est *Sol*, qui si geminus, periculum esset, ne o-  
mninò conflagrarent omnia, uti ille ex *Lydis* ad *Cræsum*  
ajebat, qui fratrem in Imperij assumserat consortem: nec mun-  
dus duobus solibus regi potest, nec duo summa regna habere.  
*Alexandri* responsum est ad *Darium*. *Curt. lib. 4.* Sed unum  
corpus, unâ fas est ut regatur anima *Pontan. lib. 4. de obedi-*  
*ent; c. 2.* Apes sine Rege non esse, nec invitè tamen, cum  
plures fuerint, interimere, *Plin. 11. Nat. histor. 17.* credi-  
mus, & græves inter unus veluti consensu reliquorum Prin-  
ceps electus regit ac moderatur agmen. Quorsum hæc? nè-  
pè naturalia hæc esse & à Supremo Numine quasi ab æter-  
nitate ordinata, imò in ipso etiam paradiso (homine e-  
nim in statu innocentia servato aliquod caput familia, a-  
liquodque regimen politicum, quamvis regendi, qui  
nunc est, modò planè diverso fuisse futurum testatur *Ke-*  
*ckermannus in præcognit. politic. p. 12. & disp. pract. 29. q. 3.*) una  
cum hominis creatione & efformatione capisse tralatitiū  
est. Non cæcutiens in hoc *Plato lib. 3. de LL. simplicissi-*  
*mam & cæterarum matrem* vocat: Primam origine *Aristo-*  
*teles. 1. politic. cap. 2. 3.* politic. insignivit, quem sacra-  
tissimum